

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

Joachim <von Fiore>

Venetiis, 1589

Oracvli tvrcici declaratio

[urn:nbn:de:bsz:31-248994](#)

ORACULI TVRCICI DECLARATIO.



N

Vlgo nota historia fertur, quæ ad huius oraculi explicandam obscuritatem pri-
mas partes tener, eiusmodi illa est. Me-
hemeti Secūdo Othomanorum Principū
sæuissimo, Christianorumque hosti im-
mitissimo Constantinopolitanam urbem
obsidenti, nocte præclarissimæ urbis, & deplorandi impe-
rij exitium præcedente tale oblatum fuit somnium. Vide-
batur huic dormienti tentorium patulum hinc inde fieri,
cœlum aperiri, ex eoque descendere senem uenerabili aspe-
ctu, reuerenda facie, augustiori habitu, quam humano, &
excelsiori statu corporis. Simulque ex cœlo annulus demit-
tebatur, filo appensus, quem senex apprehensa Mehemetis
dextera manu, septies per omnes digitos circumduxit, hoc
ordine. Prima uice maximum se percipere gaudium sentie-
bat Mehemetes, qui secunda, tertia, & sequentibus usque
ad septimam iuxta mutationis modum imminuebatur, id-
que etiam ipso dolente, & dolore, quoties mutabatur annu-
lus, crescente. Tandem ad septimam in cœlum sublatus est
annulus, & illico senex euanuit, tanto Mehemetis dolore,
ut ingentem emiserit clamorem, ad quem Eunuchi iuxta
morem gentis tentorium, & lectum Principis custodientes
accurrere. Hique ipsius iussu ad illum, quos Visiros, Bassas,
Bellerbeios dicunt, cæterosque consiliarios conuocant, nar-
rat somniū, exsurgit à Christi fide Apostata Magnus Visir,
de Constantinopoli capienda interpretatut, incitat homi-

L 2 nem,

ORACVLI TVRCIC

nem, mos geritur, vrbsque capitur. Hanc verò hoc oraculo intelligi deprehendent curiosi, si septem septies multipli- ci numeratione efferentes Caroli Octaui tempora notabūt. Quibus fama erat Gallum Regem victorem in Græciam contra Turcas traiecturum, & hac de causa Roma in Gal- liam Turcarum Principis fratrem, qui Romæ in custodia assuerabatur, duxit, vt eo duce, & fauore contra Turcas vte retur. Quo Rege mortuo, & Turcarum terror desit, & Christianorum spes lapsa est. Ex eoq; semper Turcici Prin cipes Gallorum Regis amicitiam coluere; cum etiamnum persuasum habeant ex Gallico regno sibi cladem impendere. Sic autem præsentis oraculi in septimo anno dubie- tas sepulta hucusq; iacuit, & ad hæc tempora iacet, quibus à Constantinopoli capta duodecimi numeri duodecies in se circumducti explicationis finis instat. Nec m̄num cui- quām sit, Turcæ omnes, & omnes orientales Aegyptij præ- fertim, & Syri in nonagesimum secundum annum Ortho- manicę familię fata referuant. Quod Solimano quoque ab Arabe prædictum, Clarissimus Vir Stephanus Theupo lus, dum Constantinopoli pro Augustissima Veneta Repu- blica legatum apud ipsum Solimanum ageret, disertissi- mis verbis se præfente aiebat, stupēte, & rem futuram con stanter credente Turcarum Principe. Cui coniungere pos- semus, qua de arbore Turcica quindecim ramorum vulgo circumferuntur; verum hæc, & alia modò reticenda sunt, aliás vberius daturi. Evidem aptissimus hic locus esset, in quo numerorum in diuinatione hac potestatem demon- straremus, & quām cōueniat illi Philosophorum Arabum opinioni afferentium omnes generationes, mutationesque, species rerum naturalium, & earum, quę supra naturam sunt, certis numeris distingui, & per eos earum effectus co- gnosci; quibus veteres Theologi omnes, & Cabalistæ sub- scribunt. Colligiturque simul ex scriptis Origenis, Hiero- nymi, Augustini, Hilarij, Basilij, Gregorij Nisseni, Raba-

niqe

DECLARATIO.

nique numerorū vim permaximam esse. In rerumque vniuersitate constituenda septenarium numerum primas tulisse fatentur cuncti, & sapientes in Duodenario Christianismi firmitatē & innovationem esse censem, quod in eius cubo, & superficie explorant, dum M.DCC.XXVIII. ex tota eius perfectione cōstituunt, & id aliud non est, quām cūm duodenarium, qui primus fœcunditatis numerus duobus senarijs componitur, priorque perfectionis numerus existit, duodecies ad duodecies usque in sua superficie, & cubo reuoluimus, & inde superiorem numerum conficimus. Quo in numero & Picus Miradulanus sæculi durationem statuit, nos verò Christianæ religionis amplificationē, & reliquiarum Israelis salutem ponimus. Veteri, & reconditæ harum rerum scientiæ per traditionem hucusque demonstratæ adhærentes, & Intelligentiarum Vniuersitum regentium cursum, & temporum spacium magnificientes, quæ ita nos radijs sui splendoris illuminent, ut purioribus studijs, & sanctioribus sacrarum literarū obsequijs Deum Opt. Max. dignè colamus, nobis placemus, & rite cognoscere, contemplari, & possidere valeamus.



ANNO-